18

DECANI FACVLTATIS MEDICÆ

GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII,

HÆREDITARII IN SCHWARTZA,

MEDICINÆ DOCTORIS, THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII, COMITIS PALATINI CÆSAREI, CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALIS SAXONICI, h. t. ACADEMIÆ RECTORIS,

PROPEMPTICON INAVGVRALE

DE

BVLBO VETERVM.

JENÆ,

LITERIS KREBSIANIS.

MAgnæ famæ apud Poetas & medicos inclaruit olim BULBUS, ſed quod mireris, in tanta luce, fere inter deperdita referendus, vt non pauca alia. Inſtar omnium eſt locus *Naſonis l. 2. de remed. amor. verſ. 797.*

Daunius, an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
 an veniat Megaris, noxius omnis erit.

Quaſi dicat, ſi veneri renunciare velis, ſi deuitare cupidinis artes, abſtinendum eſt ab vſu & eſu bulbi. Vt contra ea *Martialis* ad confortandam venerem commendat, in effœtis & frigidis:

Cum ſit anus coniux, & ſint tibi mortua membra,
 nil aliud bulbis, quam ſatur eſſe potes. *l. 13. epigr. 31.*

Hic vero ſi adeas commentatores, & notas variorum, vt hodie audiunt, profundum apud omnes offendas ſilentium, indicio parum curare ipſos textum ſæpenumero, & ſuis confidere collectaneis.

Sunt, qui non certam ſpeciem, ſed in vniuerſum bulbos intelligi rentur, quibus ſi non omnibus, plerisque ſaltim communis virtus competat, quod venerem exſtimulent. Hanc ob cauſam etiam putant hortari Poetam amatores, vt abſtineant ab eſu bulborum, ſi quidem amoris ſtimulos a ſeſe auertere cupiant, πάντες δὲ δριμεῖς καὶ θερμαντικοὶ καὶ πρὸς συνουσίαν παρορμῶντες. *Omnes vero acrimoniam habent, calefaciunt, & venerem ſtimulant*; ſi amaros diuerſæ quaſi ſpeciei exceperis.

Alii, probe aduertentes, non de omnibus ſermonem eſſe, &, præter alios receptos, maxime id eduli cuidam competere, fatentur ſe illum neſcire. Inſtar omnium laudandus hoc nomine *Matthiolus*, nobis, *ſcribit*, bulbi eam ob cauſam (quod Dioſcorides eorum faciem non repræſentauerit, vel quod iamdiu exoleuerint, hodie omnibus tum medicis, tum herbariis adeo incogniti ſunt, vt neminem hactenus inuenerim, qui eos legitime demonſtret, *comm. in l. 2. Dioſc. c. 168. p. m. 452.*

Hinc ſi alios conſulamus, magna occurrit in opinionibus di-

uerſi

uerſitas, indicio incertitudinis vel ignorantiæ. Poſſe eius loco nobis eſſe *ornithogalum aruenſe*, nonnullamque partem bulborum aliorum, autor eſt *P. Laurembergius appar. Plant. 1. l. 1. cap. 1. p. 14.* Sed nimis exiguus eſt, nec ſuppetit fere, niſi tempore vernali, nec reſpondent circumſtantiæ aliæ.

Non paucos *hyacintho* id adſcribere *Anguillara* teſtatur, *Parer. 7. p. 119.* ſed falluntur, quod longe aliter ſe habeat deſcriptio eiusdem, nec experientia ſingularis, vel alia reſpondent. Romanis ita dicta refertur *hemerocallis* apud Dioſcoridem, in nothis vulgo dictis ſynonymis ad *p. m. 184.* *Cepas* vero *Aſcaloniticas* pro bulbo illo haberi poſſe autumat *l. c. Matthiolus*, vt *cepam bouinam Anguillara*, qui refert ſpecies bulbi eſculenti eſſe copioſas in Candia, Corfu, Zante, & ſimiliter in Italia.

Tacemus & *ſatyrium* e bulborum claſſe maxime omnium eſſe aphrodiſiacum, quod aliis contra huc referri & ſubſtitui debuiſſet, quod vnum hoc præ aliis adhucdum officinale ſit & vſu ſolenni receptum, ſi cœtera reſponderent.

Cum vero e genuinæ deſcriptionis defectu notæ characteriſticæ minus poſſint ſtabiliri, allaborandum & inquirendum reſtat, an ex collatione veterum ſapientum erui poſſit hoc dubium, an ex re ipſa philoſophando, iunctis illis, euolui & in apricum reponi bulbus hic tam decantatus. Neque enim vel operæ pretium minus fuerit, neque deſperandum, vbi his veſtigiis inuentionum inſiſtimus.

Si *Serapionem* audiamus *c. 355. de ſimplic. p. m. 149. b.* Bulbus dicitur cepe ſine tunicis. Confirmat idem *Rhazes l. 3. de re med. c. 29. p. m. 79.* Bulbus, *inquiens*, eſt cepe, quod comeditur. Hoc ipſo vero, ſi fateri volumus quod res eſt, tantum abeſt vt cepis aſſeratur hæc ἐξοχή, vt potius ex priori loco contradiſtinctus cepis bulbus manifeſto appelletur; altero latius comprehenditur bulbi nomen ſub cepa.

Sane & cepæ nomen generalius acceptum omnia tuberoſa notat, & bulbos ſub ſe complectitur hoc ſenſu, vt dicantur etiamnum Zwiebel-Gewächs. Et bulbus aliquando pro genere,

aliquando pro ſpecie ſumitur. Vel ſaltim ſi nihilominus non alium bulbum intelligi a Rhaſe quis vrgeat, quam cepas, id concedi minus poteſt, cum cepa diſtincta manifeſto & alia a bulbo ab *Anazarbæo* recenſeatur *l. 2. c. 181.*

Quod ſi ergo hunc conſulamus penitius, reuera *l. 2. capite 200.* vbi de bulbo noſtro agit, duas videtur ſpecies bulborum inſinuare: *(1)* ſtrictius & proprie ſumptum; *(2)* σκιλλώδη, *ſcillinum*, q. d. illum ϛρόγγυλον, bulbum ſibi relictum, tuberoſum, æqualem, rotundum vel oblongum, ſine tunicis, vt exprimebat *Serapio*: hunc cepaceum, ſciſſilem in lamellas, vel ſquamoſum quaſi. Et hoc legentem curatius textus ipſe edocet & conuincit omnino, iuncto examine ſaporis & virium. Et ex hoc fundamento facile efficitur, non quadrare huc, vel bulbi huius nomine venire poſſe, quaſcunque cepaceas bulborum ſpecies, ſed ab his diuerſum quempiam, vt affectionibus, ita & viribus.

Porro hunc ipſum vocat ἐδώδιμον, καὶ πᾶσι γνώριμον, *eſculentum, & omnibus notum.* Edulem ſimiliter memorat *Cous l. de nat. muliebr. c. 88. t. 15.* vbi ad lac augendum commendat. Fuerit ergo ex his alimentariæ ſimul virtutis, & ſaporis non ingrati, ſaltim non amari, vel nauſeabundi, vnde εὐστόμαχον & εὐκοίλιον, *ventriculo & aluo gratum* & proficuum vocat. Non minus vero colore ipſi dicitur πυῤῥὸς, *rufus*, non quidem centraliter, ſed quoad ſuperficiem, non quoad medullam, pulpam vel carnem, vt ita vocemus. Quando vero *Aretæus l. 2. acut. c. 3. p. 192.* rubros & paruos ad rubefaciendum laudat, alios forſan, ipſasque cepas, intellexerit.

Additur vero & patriæ mentio, ſeu loci natalis, vnde peti ſolitus fuerit, dum ἀπὸ λιβύης κομιζόμενος, *ex Libya petitus*, laudatur. *Ruellius* ex Africa deferri vertit. Ipſiſſimus igitur eſt hic cum Libycis miſſo ab oris *Ouidiano*. Prius vero, quam de viribus addamus mentionem, illud tangendum quoque, an Daunius ille cum Libyco, an item Megaricus idem ſit, vel diuerſus. Nobis ſane prius quam maxime videtur, cum certo effectui certum aſſignetur medicamentum, & eligatur ſæpe nihilominus a-

liun

liunde allatum, quod,ne alia laudemus, vel perlarum ,vel croci, vel hyſſopi, & ſcorzoneræ, exemplo clarere poteſt; q. d. ſiue ex noſtris oris, in Italia pronatum bulbum expetas, ſiue peregrinis ab oris in copia allatum.Et hoc enim inſinuat *Dioſc*   *es* vel tacendo: quod enim vulgo cognitum eſt, non   m, non caro pretio habendum, ſed obuium magis & cuiuis culinæ notum, & coëmendum, quod vſitati, recepti & noti eſt conſectarium.

Pondus & coronidem addit virtus; bulbus enim hic, liceat ita appellare, eſt *aphrodiſiacus*, ſeu venereus, quod quidem cum aliis habet commune, non tamen alii omnes cum ipſo, vt ſint alimentarii iuxta & medicamentoſi. Addi his poteſt electionis loco, quod *Ariſtophanes in Nubibus* ſcribit, *Act. 2. Sc. 2. p. m. 92.* vbi præferuntur *μεγάλοι ϗ καλοὶ, magni & elegantes*, ſeu boni, præ cœteris. Ex his conſideratis & præmiſsis concludere fas eſt, bulbum hunc veterum, tantopere decantatum & celebrem, nullum alium fuiſſe, & declarandum etiamnum eſſe, quam ARUM MAXIMUM, ÆGYPTIACUM, communiter Colocaſiæ nomine notum, id quod ex iam præmiſsis probatu non erit difficile. Huic enim, non alii cuipiam ex bulboſis, omnia hæc & ſingula apprime competunt.

Eſſe hoc bulboſum, non minus ac ſuccedaneæ ſpecies, dracontium & arum noſtrum, nemo negauerit. Caret tunicis cepaceis, & tuberoſum ſic eſt, bulbus eſt omnium conſenſu. Edule eſſe & fuiſſe olim non minus in confeſſo eſt, *ἄρον τὸ ἐδώδιμον, arum edule Theophraſti l. 7. Hiſt. Pl. c. 12. p. 148.* quamuis ibidem bulbo contradiſtinctum videatur. Fatetur enim *c. 13. p. 149.* plura eſſe genera bulborum, adeoque & arorum, cum adeo dulces quibusdam in locis proueniant, vt vel crudi mandi posſint, vt in Taurica Cherſoneſo. Locus clarisſimus eſt *Plinii l. 19. N. H. c. 5.* Eſt inter genera (bulborum) & quod in Ægypto arum vocant, ſcillæ proximum amplitudine, radice mollioris naturæ, quæ edatur & cruda. Dixerat idem antea: quidam crudi manduntur,vt in Cherſoneſo Taurica; poſt hos in

 Afri-

Africa nati laudantur, mox Apuli; de vna & eadem agens ſpecie.

Idem expreſſis verbis affirmat latius *Proſper Alpinus l. de Plant. Ægypt. c.33. p.101.* & *Vesling. in comm. p.37. ſ.* Eius radix magna, craſſa, chinæ radicibus ſimilis cernitur, (colore & figura,) ſapore ſubamaro, acri cum aliqua viſcoſitate, quæ cocta dulceſcit; quotidie paſſim toto anni tempore per vrbem innumeræ radices venduntur, viliori pretio. De patria vero, Libya, & aliis optime *Galenus l. 2. de Alim. Facult. c. 63.* quod de aro eſt, præter alia huc referenda, ad Cyrenen, *inquit*, planta hæc a noſtrate eſt diuerſa. Nam in illis locis arum minime eſt medicamentoſum, & acre, vt rapis etiam ſit vtilius: idcirco hanc quoque radicem in Italiam aduehunt, vt quæ longiori tempore imputris, & ſine germine poſſit perdurare. Eſt vero vel ex ſacris notum *Act. 2. verſ. 21.* coniungi Αἴγυπτον, καὶ τὰ μέρη τῆς λιβύης τῆς κατὰ κυρήνην, *Ægyptum & partes Libyæ circa Cyrenen.*

Vt adeo omnia quam conuenientiſſime congruant, id quod non difficulter etiam de aliis valet. Daunius enim idem eſt ac Apulus, Apuliam enim Græci Dauniam vocant, teſte *Strabone*, quæ Italiæ eſt regio poſt Calabriam. Vid. *Hummelburg. comm. Apulei. p. 87.* Megaricos item Cato celebrat, quod maxime venerem ſtimulant, verbis *Plinii l. 20. N. H. c. 9. p. 37.* Confer. *Galen. l. 6. ſimpl.* Non ſolum in Ægypto ſpontaneam, atque in Sicilia, ſed etiam in Salernitano agro frequentem inueniri refert *Fabius Columma P. 2. min. cognit. ſtirp. Cap. 1. p. 3.* Addit *p. 2.* radice eſt bulboſa, magna, ſcillæ æmula in vetuſtiore, foris RUFFESCENTE, intus candicante; & *p. 4.* expeti Neapoli a Turcis & Africanis mancipiis.

Vſum aphrodiſiacum, præter dicta, confirmat *Alpinus* l. c. Eam tum crudam, tum coctam libentiſſime veneri indulgentes mandunt, tum quia putant ſemen multum gignere, tum libidinem præualide mouere. Idem de regiis, qui ipſiſſimi ſunt cum noſtris, tradit *Athenæus l. 2.* ſed cœteris paribus, dum vires annique ſinunt, vnde addit: ἡ δὲ παροιμία φησὶν·

οὐδέν σ᾽ ὀνήσει βολβός, ἂν μὴ νεῦρ᾽ ἔχῃς.

neruis carentem iuuerit bulbus nihil.

Ade-

Adeo, vt inuita Minerua ſi id fiat, fruſtra ſit, etiamſi *καταφάγῃς βόλβων χύτραν*, *deuoraueris bulborum ollam*, vt *Ariſtophanes* loquitur. Præmittere hæc voluimus Diſſertationi Inaugurali de SPASMO CYNICO Clariſſimi medicinæ Doctorandi,

JOHANNIS ANDREÆ FREUND.

Natus eſt Gothæ anno ſalutifero M DC LXXIV d. XIIX Februarii, Patre viro prudentiſſimo IOHANNE CHRISTIANO FREUND, aurifabro & ſenatore ibidem, Matre SUSANNA CATHARINA SCHENCKIN, nunc beata. Horum cura, vt in religione Chriſtiana atque literarum elementis informaretur, commiſſus eſt tam priuatis, quam publicis Scholæ Gothanæ Præceptoribus. His imbutus vt porro adoleſceret, concreditus eſt Gymnaſii patrii Præceptoribus Clarisſimis, CYRIACO GVNTHERO, M. ERNESTO WILHELMO TENTZELIO, t. t. Inſpectori ibidem, nunc Hiſtorico Saxonico grauisſimo, SAMVELI BVFFLOEBIO, p. m. M. SACHSIO, M. IOH. HIERONYMO WIGLEBIO, Subconrectoribus, M. IOH. BALTHASARI STROBELIO, Conrectori, M. IOH. HENRICO RVMPELIO, M. GODOFREDO VOCKERODIO, Claſſis Selectæ Profeſſoribus, & GEORGIO HESSO, Rectori.

Adulto ingenii robore in Almam hanc Salanam miſſus ſub æſtatem anni M DC XCIV. primum anni vnius & dimidii ſpatio Sophicis ſtrenue litauit ſtudiis, hinc medicis, in vtrisque nobilisſimis & excellentisſimis vſus Doctoribus. In ſcholis Logicis, Metaphyſicis, Phyſicis & Mathematicis, ſecundum Sturmii tabulas Mathematicas, Matheſin enucleatam atque aphoriſmos Phyſicos, audiuit D. IOH. PHILIPPVM TREVNERVM, & GEORGIVM ALBERTVM HAMBERGERVM. In Lectionibus Chirurgicis atque Botanicis publicis, excurſionibus in nemora atque ſaltus, profectionibus cadauerum duorum corporum fœmineorum, atque in horum altero operationibus Chirurgicis, aliisque exercitiis anatomicis priuatis asſidue ſectatus eſt D. IOH. HADRIANVM SLEVOGTIVM; in laboribus

ribus & demonſtrationibus Chimicis D. ERNESTVM HENRICVM WEDELIVM.

Noſtris quoque acroaſibus & exercitiis interfuit ſedulo, tum publicis, tum priuatis, in vniuerſæ artis ambitu, ſeorſim in prælectionibus Inſtitutionum medicarum, hinc & de medicamentorum notione, ſelectu, compoſitione, & de morbis externis, vt & Diſputationibus in theoremata Medica priuatis, quo nomine & aliquoties publice Opponentis munere functus eſt, non ſine applauſu. Hinc domum reuerſus manuductionem ad praxin & operationes chimicas obtinuit fideliſſimam D. GEORGII HENRICI BACHOVII, medici Aulici, & Phyſici ordinarii celeberrimi.

Nuper vero ſub initium elapſi veris ad nos redux non ſolum nomen ſuum Gratioſiſſimæ Facultati Medicæ profeſſus eſt, atq; , vt in Candidatorum numerum reciperetur, modeſte petiit, ſed etiam Collegia publica & priuata iam laudatorum Excellentiſſimorum ſuorum Præceptorum denuo viſitauit; nec non informatione ex discurſibus doctiſſimis venerandi inclutæ Facultatis Senioris, D. RVDOLFFI GVILIELMI KRAVSII, vſus eſt.

Admiſſus ad examina ſufficienter deſiderio ſatisfecit, atque egregiis profectibus exploratis dignum ſe probauit artis filium, ac genuinum; quare & publicam in cathedram, ſub NOSTRO PRÆSIDIO, conſcendet A. D. VIII. Iunii, eosdem omnibus examusſim probaturus. Huic Actui ſolenni vt illuſtriſſimi Comites, Proceres Academiæ, Hoſpites omnium ordinum exoptatiſſimi, Artisque noſtræ & ſtudiorum fautores, gratioſam & beneuolam ſuam præſentiam commodare dignentur, perofficioſe & amanter rogo ac contendo. P. P. ſub ſigillo Facultatis, M DCC I. A. D. V. Iun.

L. S.